

3

SVPREMVM OFFICIVM  
QVOD  
ILLVSTRI VIRO  
**CONRADO SAMVELI  
SCHVRZFLEISCHIO**

DOCTORI HVMANITATIS PVBLICO  
IN ACADEMIA PROPTER ALBIM  
LONGE CELEBERRIMO  
POLYHISTORI INCOMPARABILI  
SERENISSIMI DVCIS SAXO VINARIENSIS REGENTIS  
**GVILIELMI ERNESTI**

CONSILIARIO ET BIBLIOTHECAE PRINCIPALIS DIRECTORI  
PATRONO ET PRAECEPTORI SVO  
OPTIMO MAXIMOQVE  
MORTVO NONIS IVLIIS M DCC VIII  
DOLOREMQVE

QVEM COMMVNEM HABENT  
CVM

VIRO EXCELLENTISSIMO

**HENRICO LEONARDO  
SCHVRZFLEISCHIO**

I. V. D. HIST. PROF. PVBL. CELEBERRIMO  
SVMMA PIETATIS SIGNIFICATIONE  
DECLARANT

M. CHRISTIANVS GODOFREDVS MVLLER  
ZSCHOPAV. MISN.

HENRICVS AVGVSTVS SCHVMACHERVS  
CORBACHIO VVALDECCIVS.

---

DRESDAE LITERIS HARPETERIANIS.



Vi in magno & acerbo moero-  
re luctuque versamur , pieta-  
tem nostram nostro DOCTO-  
RI qua re declaremus , consti-  
tuere non possumus, propterea, quod dolores  
omnino vix consolabiles animum conficiunt,  
viresque frangunt, & intimam cogitationem  
omnem confundunt. Etenim PATRONVS  
noster Optimus, dicamus, alter PARENS, qui  
nos amore paene patrio est amplexus , supre-  
mum vitae egit diem , ille Summus Huma-  
nitatis Doctor, qui eleganti variaque doctrina  
nos instruxit, neque opera, neque consilio,  
nobis defuit unquam. Graue id, fatemur, est  
vulnus, quod accepimus, cuius sanandi ratio  
haud facilis esse videtur. Multa profecto maxi-  
maque beneficia in nos contulit, atque omnis  
fortunae, quae nobis fuit, melioris accessio, si  
a DEO Maximo discesserimus, per eum est fa-  
cta. Hoc praesertim confidenter affirmare  
possumus, aditus ad eum difficiles nobis nun-  
quam fuisse, neque difficiliore aditus ad biblio-  
thecam dedisse, sed cumulatissimas rei librariae  
opes videndas concessisse, nosque non ut cli-  
entes, sed ut amicos leniter clementerque, ac-  
cepif-

cepisse. Quo maiora autem beneficia, quorum  
magnum tacemus numerum, nobis tribuit, eo  
acerbior nobis accidit extremus vitae dies, quo  
nobis PATRONUS est ereptus. eoque maiori eius  
desiderio afficimur, quo magis poscimus, desi-  
deramus, quaerimus, ereptum, quem, nobis  
superstitem, rebus afflictis remedium speraba-  
mus, id, quanta poteramus, pietate precati ab  
DEO immortalis, ut saluum incolumemque  
nobis SCHVRZFLEISCHIVM nostrum ser-  
uaret, qui tot Gratiae signa praestitisset. Eheu  
uero imbecillitatem fragilitatemque generis  
humani! eheu humanos casus! Paruis mo-  
mentis res humanae aut mutantur, aut fran-  
guntur. Id singulis diebus omnes uidemus, &  
nos hoc tempore SCHVRZFLEISCHIVS no-  
ster suo exemplo docet. Lugemus DOCTOREM  
nostrum, & una grauius MAECENATIS  
mortem lugemus. Non minor TIBI causa est,  
*Vir Excellentissime*, quam obrem tale tantum-  
que Reipublicae literariae decus ereptum gra-  
uiter feras, ac deplores, medicinamque dolo-  
ris, ut fieri par est, opportune quaeras. Fra-  
trem Germanum amisisti, quo meliorem ha-  
bere non poteras, & feliciorem non optabas.  
mortuus est Frater Optimus, si tamen is mori  
potuit, quem fama ingenii, & inusitata dicendi fa-  
fa-

4339 TK X 3047925 VD 18  
facultas, & merita in omni genere summa iam  
dudum reddidere immortalem, cuius nomen  
atque memoriam ne mortis quidem inuidia  
obruere prorsus, ac delere unquam potest.  
Quae iactura, quamuis acerba sit, animum ta-  
men Tuum, omnibus sapientiae praesidiis mu-  
nitum, colligas, neque obliuiscaris, Te  
SCHVRZFLEISCHIVM esse, cuius rationi-  
bus conuenit, animum seruare magnum, at-  
que firmum. Cum *TIBI, Excellentissime Vir,*  
nobisque, & omnibus cordatis, & bonis, dolo-  
rem aequae, ac desiderium relinquat, tum nos  
deceat, ne inuideamus nostro MAECENATI  
sanctam quietem, cuius anima fruitur gaudio,  
cui nihil in rebus humanis est aequandum,  
quodq; nullis aetatum finibus terminatur. No-  
bis, quoad in terris erimus, conuenit, ut nulla  
unquam obliuio extinguat memoriam bene-  
ficiorum, quibus nos est complexus, sed gra-  
ta piaque recordatione eius nomen  
prosequamur.



uione deleri. Hi  
doctrinae, erudi-  
tauratae initia  
HIVS vero, fum-



ad feram us.  
agare.

SVPREVM OFFICIVM  
QVOD

ILLVSTRI VIRO

# CONRADO SAMVELI SCHVRZFLEISCHIO

DOCTORI HVMANITATIS PVBLICO

IN ACADEMIA PROPTER ALBIM

LONGE CELEBERRIMO

POLYHISTORI INCOMPARABILI

SERENISSIMI DVICIS SAXO VINARIENSIS REGENTIS

# GVILIELMI ERNESTI

CONSILIARIO ET BIBLIOTHECAE PRINCIPALIS DIRECTORI

PATRONO ET PRAECEPTORI SVO

OPTIMO MAXIMOQVE

MORTVO NONIS IVLII M DCC VIII

DOLOREMQVE

QVEM COMMVNEM HABENT

CVM

VIRO EXCELLENTISSIMO

# HENRICO LEONARDO SCHVRZFLEISCHIO

I. V. D. HIST. PROF. PVBL. CELEBERRIMO

SVMMA PIETATIS SIGNIFICATIONE

DECLARANT

M. CHRISTIANVS GODOFREDVS MVLLER

ZSCHOPAV. MISN.

HENRICVS AVGVSTVS SCHVMACHERVS

CORBACHIO VVALDECCIVS.

DRESDAE LITERIS HARPETERIANIS.